



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas I. Quid tenendum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

distinctio inattingibile reddit mysterium, ita identitas deberet reddere facile mysterium hoc; sicut enim, quia albedo disgregat visum, opposita illi nigredo non disgregat, ita si distinctio realis in tertio, attollit hoc mysterium ultra noscibilitatem naturalem, ita claudet illud intra eandem noscibilitatem identitas in tertio. Rursus inclusio distinctionis realis in tertio, in mysterio Incarnationis duplex cogitari potest; quædam inclusio materialis, & hæc ad præsens non spectat, nam est etiam illius inclusio incomprehensibilitatis divinæ, & aliarum inattingibilium perfectionum, neq; tamen ad ista in præsentem attenditur; ita si materialiter includitur in mysterio Incarnationis distinctio realis in tertio, non debet ad eam in præsentem attendi. Alia est inclusio formalis distinctionis realis in tertio in mysterio Incarnationis, hæc si detur, concedo quod redderet mysterium hoc innoscibile evidenter viribus naturæ: sed nego istam inclusionem dari, idq; ex eo, quia si per impossibile non fuisset nisi una persona divina, sicut est una natura, jam non fuisset tunc habita distinctio realis in tertio, & tamen æquè fuisset innoscibile evidenter viribus naturæ hoc mysterium, casu, quo illa natura divina, & ejus una persona, fuisset unita hypostaticè humanitati. Ergo apparet, difficultatem hujus mysterii evidenter noscendi, non oriri ex distinctione reali in tertio. Et quamvis, pro præsentem Incarnatione, persona VERBI immediatè uniatur humanitati, eamque compleat in ratione subsistentis, non complente, in ratione subsistentis humanitatem naturæ divinæ, quæ est identificata personæ Verbi: hoc tamen pro casu à nobis adlato licet impossibile, tamen non impossibilitate tollente seipsum, non tenuisset. Adde non paucos ex Nominalistis dicturos, quod in sensu reali, etià natura divina compleat humanitatem in ratione subsistentis. Qui autem hoc negarent, dicerent, in hoc quidem sensu non posse attingi evidenter mysterium Incarnationis, quia non potest evidenter attingi secundum hunc effectum formale, quod terminet illam humanitatem personæ VERBI, & non terminet identificata realiter natura: sed cur non possit attingi secundum hoc, quia illic unitur non tantum persona divina, sed & natura divina, hoc enim secundum hanc considerabilitatem præcisè spectatam, non involvit distinctionem realem in tertio. Si autem cognosceretur evidenter unitam esse personam divinam & naturam humanitati, hoc ipso nosceretur evidenter mysterium Incarnationis, cum illud mysterium importet formalissimè talem unionem; quantumvis adhuc non nosceretur illud mysterium adæquatè & secundum omnia, quæ illud mysterium continet, quod ex alibi dictis non requiritur ad notitiam evidentem. Posset etiam merito dubitari: An difficultas præcipua Incarnationis, in prædicto *Non terminari à natura di-*

vina consistat: fortè enim consistit in capacitate naturæ, ut terminetur à persona divina, in insupplebitate item personæ creatæ à persona divina &c. &c. Et hæc de Majori.

Ad Minorem, quod attinet, Probatio illius videtur non convincere. Quid enim est hoc in distinctione reali in tertio, inverso modo contineri principium illud lumine naturæ notum? *Quæ sunt eadem uni tertio:* Nam inverso etià modo regulantur syllogismi negativi, quibuscunq; tandem verbis cingatur illud principium; & tamen illud ipsum negativum principium, adhuc est lumine naturæ noscibile. Quod si hoc sensu illud principium inverso modo continetur, quia est contrarium, illi principio lumine naturæ noto: hoc ipso sequitur, aut illud principium non esse lumine naturæ notum; nam principium lumine naturæ noto oppositum, non potest esse verum; aut sequitur non dari illud mysterium, nec dabile esse: quod falsum est. Debet ergo explicari quid sit illud, inverso modo contineri dictum principium in mysterio Incarnationis? ita, ut ex illo inverso modo, inferatur mysterii hujus innoscibilitas, viribus naturæ.

DIFFICULTAS I.

Quid tenendum?

DICENDUM EST I. Possibilitatem Incarnationis nullo positivo argumento demonstrativè probari posse. Est conclusio communis contra Lullum.

PROBATUR I. Autoritate sacrâ. Nam id habetur ad Ephes. 3. ad Col. 1. & 1. ad Corinth. 2. Unde appellatur hoc mysterium *absconditum*. Celebris est locus Isaïæ: *Generationem ejus quis enarrabit?* Quem locum intelligit S. Leo Ep. 10. de temporali Christi generatione; & Chrysost. homil. de S. Baptista tom. 3. post Homil. in Joan. Ambrosius lib. de Fide ad Gratianum cap. 5. ait: *Non solum admirabilis ex Patre generatio Christi, admirabilis est etiam ejus generatio ex Virgine;* quæ comparatio elumbis esset, si posset hoc mysterium demonstrativè nosci, cum demonstrativè non noscatur Trinitas. Dionys. de divinis nominibus c. 2. ante titulum, ponit SS. Hierothei verba: *Quia etiam illa, inquit, Theologia clarissima, divina, inquam, Jesu ex natura nostra compositio, nec omnino explicari, nec ratione percipi valet, vel ab ipso præstantissimorum Angelorum facili Principe.*

PROBATUR 2. Quia nulla talis demonstratio ostendi potest, quæ ratio robur habeat ex solutione argumentorum.

PROBATUR 3. Quia omnis demonstratio, est, vel per causam vel per effectum, per nihil horum demonstrari potest Incarnatio. Non potest demonstrari per causam; nam hæc vel est extrinseca vel intrinseca: Causa extrinseca ejusdem, est decretum v.g. de Incarnatione, per decretum autem demonstrari, idque (ut suppono)

pono) stando in lumine naturæ non potest Incarnatio; nam nec ipsum decretum demonstrari potest; negatæque possibilitate Incarnationis, negabitur possibilitas decreti. Non etiam potest demonstrari Incarnatio per causam intrinsecam, h. e. materialem formalem: quia causa Incarnationis quasi materialis, est natura humana, quasi autem formalis, persona divina, ex his autem cognitæ, non potest plus inferri positivè, quam hæc conditionata: Si esset possibilis Incarnatio, deberet esse natura humana, terminata persona divina; hæc autem conditionata, non infert possibilem illam esse; ad eum modum, quo, qui cognoscit quid sit necessarium ad formandum conceptum hircocervi, non eo ipso dicit, possibilem esse hircocervum; nam formalitas constitutivi præcisè cognita, est communis etiam impossibilibus, quæ etiam habent suam rationem impossibilis, constitutivam; Ergo præcisè ex eo, quod sciatur quid esset necessarium ad perficiendum hoc mysterium, non sequitur, sciri certò & evidenter, quod sit possibile. Quod etiam non possit haberi certa & evidens cognitio de Incarnatione per effectus, probatur. Tum quia nullus talis effectus monstrari potest. Tum quia, qui aliunde negat causam, ei causa per effectum monstrari non potest, quia vel negabit effectum, (nisi illi aliunde de illo constet) vel illum in aliam causam referet. Tum quia (hoc ipsum urgendo) deberet Incarnatio demonstrari possibilis, per effectum possibilem, hic enim est solus vel maximè proportionatus causæ possibili. Sed Incarnatio non potest probari per effectum possibilem positivè & evidenter. Quia, quando non possunt probari, evidenter & positivè, unicè necessaria alicujus præsupposita, nec ipsum illud probari potest evidenter positivè. Nam non potest evidenter majorem tribuere, quam ipsum illam habeat. Si quis autem neget possibilem Incarnationem, effectus, qui afferretur, possibilis, afferretur non probatus evidenter & positivè circa ea, quæ unicè requirit; unicè enim requirit causam suam possibilem, quæ ipsa negatur; nisi hoc, ut dixi, aliunde constet, quod in præsentem non potest haberi.

Major autem illa, quod omnis demonstratio, sit per causam, vel per effectum, probatur auctoritate Logica, quæ dividit cum Aristotele demonstrationem in Propter Quid, hoc est, per causam, & in demonstrationem Quia, hoc est, per Effectum. Cujus ipsius divisionis hæc posset dar ratio. Quia omnis demonstratio est sub genere, quod est syllogismus, adeoque per aliud notificans verum; hoc autem aliud debet esse nexum cum notificando; si enim nõ sit nexum: nec fiet ex Objecto syllogismus; sed erit talis motus intellectus, ac cum dicitur: Cras pluet, quia baculus stat in angulo. Si est nexum cum notificando: debet posse mensurari iis, quæ men-

surans connexa; hæc autem, quæ mensurant connexa, sunt, prius & non prius seu posterius. Nexum itaque per prius, est causa, utpote causato prior: nexum autem per non prius, est effectus, pro demonstrationis medio termino assumptus, qui est posterior causa. Simultaneum autem, etiam ratione, nihil potest demonstrare. Erit enim illud ipsum demonstrabile, quod, seipsum non demonstrat; nam idem probaretur per idem. Hoc ipsum, sic etiam declaratur, quia quæ sunt nexa cum demonstrabili, aut sunt intrinseca, aut non intrinseca, quæ positivo nomine appellantur extrinseca; nec inter hæc datur tertium; hoc ipsum extrinsecum, vel est extrinsecum non supponens demonstrabile, sed ponens, physicè vel metaphysicè; & erit causa Physica, vel Logica. Si autem supponat demonstrabile, erit effectus, vel Physicus, vel Metaphysicus. Si verò sit intrinsecum, vel est intrinsecum Physicum, & erunt causæ componentes physicè; vel erit intrinsecum Metaphysicum; & erunt causæ Metaphysicæ. Ex quo, ulterius inferitur: cum non detur medium inter intrinsecum & non intrinsecum, inter supponens & non supponens, sed omnia ad hæc membra revocari debent; idè nec dabitur demonstratio, quæ non sit per causam & effectum: sed omnes ad hæc membra revocabuntur.

DICENDUM est 2. *Possibilitatem Incarnationis negativo argumento probari posse.*

PROBATUR 1. De Incarnatione dici potest, non implicat contradictionem, quam enim? Ergo illius possibilitas negativo argumento probari potest, nempe ipso; Non implicat. Quod ipsum sic aliter proponitur. Probari Incarnationem argumento negativo, est probari, quod Incarnatio non implicet contradictionem; Argumentum enim negativum in præsentem est, quod habet medium terminum negativum, hæc enim est ejus definitio; ly autem *Non implicat*, est medius terminus negativus; quia ly *Implicat*, licet videatur esse, terminus ex modo significandi negativus; secundum tamen Objectivam formalitatem, importat ly *dicit contradictionem*; hinc additum illi, *non*, constituet formaliter terminum negativum. Sed Incarnatio non implicat contradictionem; quia qui oppositum diceret, opponeret sese neganti, neganti autem nemo se opponit nisi affirmans; affirmetur ergo (ut supponitur, cum ratione) quod implicet; nulla autem talis ratio afferri poterit, ut infra videbitur.

PROBATUR 2. Quia aliarum rerum possibilitas bene probatur per ly, *Non implicat*. Ergo bene probatur etiam possibilitas Incarnationis.

PROBATUR 3. Implicat contradictionem, ut duo contradictoria prædicata verificari possint; hoc enim vel maximè implicat contradictionem, quod est ipsamet formalis contradictio; contradictio autem est, contradictoria verifica-

R. P.
H. MILOD
3 m 3. ei 4.
D. VI
6

rificari posse; sed, si impossibilis est Incarnatio, duo contradictoria verificarentur. Quod ipsum probatur, verificaretur enim imprimis hæc propositio: Possibilis est Incarnatio, nam eam ut veram credendam proponit fides, quæ falli non potest. Rursus, verificaretur hæc propositio, non est possibilis Incarnatio: falsa enim, ut vis, esset conclusio, quæ dicit possibilem esse Incarnationem; Ergo, si non esset possibilis Incarnatio, verificarentur duo contradictoria. Hæc probatio est bona per ordinem ad fideles.

DIFFICULTAS II.

Argumenta Lulli.

HÆc quæ ponentur argumenta, potius ostendunt factam esse defecto Incarnatione, aptari tamen possent pro probanda possibilitate, idq; ut ille vult evidenter.

OBJICIT I. Demonstrando Articulum 8. Fidei, & supponit, quod, quando Deus creavit mundum, dignitates ejus posuerunt suas similitudines. Cujus dicti sensus est: Bonitas divina elucet in mundo, quia cum fecit bonum æternitatem quia fecit durabilem; hoc posito, arguit. Omne illud per quod dignitates divinæ, melius & perfectius, ostendunt perfectiones suas & similitudines, & quietantur in mundo, Deum facere est necessarium; cum iste sit nobilior finis, propter quem mundus, vel aliqua creatura possit creari; sed si natura humana esset assumpta à divina in unione suppositi & personæ, omnes dignitates divinæ, haberent perfectè similitudines suas; imprimis bonitas, quæ non posset melius opus facere de creatura, sicut nec magnitudo majus, nec æternitas magis durabile, & sic de aliis; si autem natura humana, non esset assumpta à divina, nulladignitas divina, haberet perfectionem, aut quietem in productione mundi; quia potestas divina, potest facere majus & melius opus in mundo, si Incarnatio dematur.

RESPONDETUR. Majorem esse falsam, quia multum probat; probaret enim Christum debere esse ubique: si enim Christus esset ubique immensitas divina majorem haberet similitudinem; probat item omnes personas esse de facto incarnatas; quia unâ Incarnatâ non haberent quietem aliâ; sicut non esset quies, si natura divina tribus personis non communicaretur; probat item possibilem esse naturam creatam, quæ una realiter, terminaretur à tribus personis distinctis realiter; eò quod in tali natura, dignitates divinæ processionales majorem haberent similitudinem. Denique ex hoc principio fallit major; quia nullum creatum, necessitat Deum suppositione antecedenti, ut in illo, actu dignitates divinæ elucescant. Minor etiam est falsa, quia in impossibili dignitates divinæ non elucescunt; impossibilis autem hæc & nunc supponi-

tur Incarnatio; jam autem antequam supponatur aliquid posse esse tale, in quo dignitates divinæ elucescant, prius aliunde supponi debet possibile; sicut quia mysterium Trinitatis in creatis aliunde non supponitur possibile, fit ut in creatis mysterium Trinitatis non elucescat.

OBJICIT 2. Idem. Omne id propter quod natura humana, quæ creata est ad Deum diligendum, magis diligere potest Deum, Deum facere est necessarium; aliàs, si Deus non faceret in natura humana id, per quod ipse Deus magis potest diligere, nollet se totaliter diligere, quod est impossibile; vellet enim se summè diligere, utpote summè diligibile; & nollet se summè diligere; quia non faceret in natura humana totum id, propter quod plus debet illum diligere homo, nempe assumptionem naturæ humanæ.

RESPONDETUR; hoc argumentum probare, quod homini detur infinita gratia ad Deum amandum, consequenter quod illa sit possibilis; hoc ipso enim Deus nollet se summè diligere, quia non tribueret id, propter quod, tanquam propter principium effectivum, plus posset illum diligere homo. Et ex vi hujus retorsionis falsa est Major cum suis probationibus. Rursus, impossibili Incarnatione, vel æquè Deus esset in se summè bonus vel non? si esset æquè summè bonus? Ergo Incarnatio non est per se necessaria propter quam Deus magis sit diligibilis. Si non esset æquè Summum bonum? Ergo in perfectione intrinseca constituitur Deus per aliquid extra se, tanquam per rationem formalem bonitatis. Rursus, est quidem necessitatus Deus, ut se velit summè diligere appetitivè, sed non summè ratione aliqujus tituli ad extra, quia ad illum ponendum non necessitatur. Unde, ratione Incarnationis, Deus est magis diligibilis, ratione nobilioris tituli, quoad extra amorem suum manifestat, sed non magis diligibilis, ratione bonitatis intrinsecæ; ratione cujus solius præcise, maximè est diligibilis Deus. Minor etiam non probatur hæc & nunc, quia propter impossibile non potest Deus magis diligere, hæc autem ponitur impossibilis Incarnatio, donec possibilitas ejus probetur evidenter.

OBJICIT 3. Idem. Omne id, propter quod omnes creaturæ, nobiliorem & perfectiorem finem habent in Deo, est necessarium: quia Deus ad se, tanquam ad finem omnia ordinat; sed si Deus assumpsit naturam humanam, omnis creatura habet finem in Deo: quia in homine, suo modo, est omnis creatura.

RESPONDETUR. Major multum probat; quia probat singulis individuis humanis unitam esse Personam divinam; quia sic perfectius conjungitur natura humana cum Deo. Et licet Deus sit principium omnia ad se ordinans, sed modis id facit sibi liberis. Minor etiam est falsa; quia